IN FUNERE

REVERENDISSIMI PATRIS MAGISTRI

HYACINTHI TONTI

Ex Ordine Erem. S. P. Augustini,

IN ARCHIGYMNASIO PATAVINO

Publici Sacrarum Scripturarum Interpretis, & Concionatoris Cæsarei longe Clarissimi,

ORATIO

Habita in Templo S. STEPHANI Venetiarum
Sexto Kalendas Octobris MDCCXXVI.

A PAULO ANTONIO BERNARDO
Congregationis Somaschensis.

VENETIIS, M.DCC.XXVI.
Apud Blasium Maldura.

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISS. AC EXCELLENTISS.

D. D.

JOANNI FRANCISCO

MAUROCENO

EQUITI

PAULUS ANTONIUS BERNARDUS

S. P.

Quam ad funus impetu quodam effusam orationem habueram, eam ex legentium oculis eripi omnino volebam, nec imbecillitatis meæ mihi conscius publicæ lucis subire periculum, in hoc præsertim eruditione omni felicissimo sæculo, in quo nihil magis, quam lucubrationes hujusmodi viri docti fastidiunt. Sed cum iidem, quorum jussu eam dixeram, suo quodam quasi jure postulent, ut emittatur, tuo nomini eam nuncupo, EQUES ET SENATOR AMPLISSIME, *non tam ut operi Patronum adsciscam,*

quam ut omnibus pateat, quod jamdiu vehementer optaveram, quem ipse Patronum omni officii genere colam: eum scilicet, quem unum si intueatur, quæ in Patriam, & in cæteros homines sibi exercenda sint officia, intelligere quisque possit, quem tot annos ita vivere noverit, ut neque a Reip. temporibus, neque a privatorum commodis aut labor abduxerit, aut otium abstraxerit, aut voluptas avocarit. Legationes illæ difficillimis susceptæ temporibus, in quibus tum summa in obeundis negotiis prudentia, cum in perficiendis usus es prosperitate, declarant, nullam rem tantam & tam difficilem esse, quam tu animo capere, tueri consilio, industria conficere non possis. Ex quibus profecto, addita etiam singularis opinione virtutis, tantam in rebus publicis auctoritatem es consecutus, quæ non in sententia solum, sed in nutu etiam residet, *quod de clarissimis Romanorum viris* (a) *accepimus, ut sanctioris Reip. partis curam tibi Senatus deferat tanto omnium consensu, quantus ex benevolentia potius, quam ratione profici-sci possit videri. Eam vero ita geris, ut commodorum tuorum oblitus, quidquid agis, ad ipsam referas; tantaque prudentia, justitia, fide, liberalitate tueris, ut sis pertubatorum temporum præsidium firmissimum, & quietorum maximum ornamentum. Nulla itaque est tibi laudum accessio ex amplissimis illis ornamentis, quæ a Majorum tuorum splendore proficiscuntur; tibique uni debere vis totam quanta est, illam gloriam, qua ad*

(*a*) De Paulo, Africano, Maximo Cic. de senect.

su-

sublimiores bonorum gradus ascendis: summos etiam consecutus esses, nisi eos meruisse contentus, illa recusasses vera & sapienti animi magnitudine, qua honestum in factis positum, non in gloria judicas. Sed quem maximum in difficili quandoque Reip. administratione admiramur, in singulorum procurandis commodis diligentissimum prædicamus. Omnibus enim cujusvis sint ordinis ita faciles aditus præbes, ut infimis etiam te parem præstes; tanta humanitate tenuioris etiam fortunæ homines excipis, ut nemo umquam a te tristis discedat; tam egregiam erga omnes voluntatem declaras, ut præstandi celeritas occupet sæpe tempus optandi; ita quæ ex rerum maximarum administratione supersunt tempora, ea omnia aliorum temporibus atque utilitati transmittis. Nemo igitur miretur, tanta te diversorum hominum frequentia deduci, cum domo pedem effers, tanta, cum refers, reduci, qui sciat tot tibi comites semper esse virtutes, quæ ad se omnium studia atque ora convertant. Hinc privatorum querimoniæ ad te deferuntur, te in dubiis consulunt, in arduis implorant nobilissimæ etiam familiæ, quas inter totam se tibi debere ejus nomine testor illam, quam, cum jaceret, & pene ad interitum redigeretur, tuo consilio erectam & restitutam, omnibus officiis complecteris, tueris, foves, non mediocribus posthabitis copiis & facultatibus, quas ex ejusdem exitio ad te tuosque propinquitas detulisset. Sed, quas incredibilis animi tui moderatio me præterire amplissimas laudes

suadet & jubet, referent quamplurima præclarissima monumenta, quæ nulla hominum, neque temporum deleantur injuria. Neque enim immortalis hujus Reip. præclare res gestas enarrandas suscipiet quisquam, quin te singularibus prosequatur laudibus, qui eam consilio, prudentia juveris, atque illa domestica fortitudine, quæ bellica quandoque major & clarior habetur: neque etiam bonarum litterarum, atque honestarum artium studiosus est ullus, qui de te non splendide & sentiat & loquatur, qui iis non excellis modo, sed eas tueris, & auges, & Senatus etiam nomine moderaris. Ego vero innumerabilia in me unum merita, quorum nullam partem non referenda modo, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum, huic prodam ætati, quæcumque occasio tulerit, posteritati etiam, si vires suppetent, propagabo; quibus maximus accesserit cumulus, si hoc, qualecumque sit munus, eadem excipias humanitate, qua omnes, qua me ipsum excipis.

ORA-

ORATIO.

ETſi in communi, inopinataque calamitate ſqualor magis, ac luctus, quam pompa decet, receſſuſque, & latebras ad explendum dolorem quærere, non in clariſſimam lucem, hominumque conſpectum prodire natura ſuadet; optime tamen ſapienterque voluiſtis, Religioſiſſimi P. P., ut viri mors præſtantiſſimi, quæ nos perculit, ac pene adflixit, non lacrymis modo, cæteriſque in eum egregiæ voluntatis officiis, ſed laudibus etiam, atque oratione celebraretur. Nihil enim honeſtius, nihil præſtabilius, quam præclariſſimos vita functos homines laudare, cum ex omnibus virtutis præmiis, ſi ratio præmiorum habenda, hoc ſit ipſum ampliſſimum, maximumque in mœrore ſolatium ex illorum recte factorum recordatione, in quorum deſiderio requieſcit animus, ac veluti præſentes intuetur, dum aliquid de iis loquimur,

aut audimus. Dolemus Reverendissimum Magistrum Hyacinthum Tontum, quem omnes, si fieri posset, cuperent esse immortalem, acerba morte nobis ereptum; dolemus amplissimæ hujus familiæ clarissimum lumen extinctum; dolemus Ecclesiæ universæ splendorem, atque præsidium firmissimum dejectum; virum denique summis honoris, virtutis, ingenii ornamentis toto terrarum orbe celeberrimum ademptum dolemus. Quam quidem tristissimam nobis jacturam sicuti supra modum etiam lugere par est, ita honestissimum, ut iis mortuus honoribus afficeretur, quibus vivens maxime claruit, & qui primas inter oratores partes obtinuit, non cultu aliquo orationis careret. Illud nunc vero vehementer optandum foret, ut qui laudandus est, sui ipsius laudator accederet, ne mœrorem vestrum, ac desiderium ejus augeat inopia dicentis, cum homini eloquentissimo eloquentia deesse videatur. Quis enim vel maxima dicendi copia præditus oratione complecti valeat, ac tam brevi tempore omnes ejus recensere virtutes, in hac urbe præsertim, in qua floruit, apud eos vero quibus cum familiarissime vixit? Unicuique enim audientium quamplura in mentem venire necesse est, quæ unus dicere minime possit, & dum quisque animo fingit, quid fuerit ipse dicturus, omnia veluti vulgaria fastidit, dum id unum cupide expectat: ut longe melior sit eorum conditio, qui in jejuno argumen-

to

to versantur, qui, si copia orationis abundent, laudantur ingenio, si deficiant, materiæ sterilitas accusatur; quicquid vero in ampla rerum segete affertur, ipsi rerum ubertati tribuitur, quicquid omittitur, dicenti imputatur. Ego vero quid illo dignum præstem, aut quid allaturum me sperem, quod ignotum vobis, inauditumque sit, aut ita dicturum, ut alii quamplurimi splendidius dicere non possint? Sed quoniam id muneris a me postulatis, & æquissimum est, ut qui debet, velit reddere quicquid potest, etsi non possit reddere quantum debet, illud mihi persuadeo futurum, ut si minus disertus, at certe benevolus habear: illudque a vobis peto, Auditores ornatissimi, ut ex iis potius, quæ vobis notissima sunt, quam quæ a me breviter dicentur, hujus viri merita æstimetis, qui ingenio, doctrina, eloquentia fuit incredibili, ratione vitæ mirabili, ac prope singulari.

Qua res inter se disjunctissimas facile comprehendimus, felicissimam ingenii vim, quo scrutamur, & involutissimas explicamus, mentis acumen, qua quicquid monstratur nullo negotio arripitur, ac retinetur, memoriæ firmitatem, cæterosque illos celeres animi motus, qui ad rerum cognitionem adquirendam & scientiam sunt necessarii, immortali præpotentis Dei beneficio omnino deberi fatemur. Quamvis autem hæc nulla industria, nulloque labore parta hominum

laudi merito ; atque jure optimo verti minime possint, nemo tamen tam injustus est rerum æstimator, qui divinis his muneribus auctum hominem non suspiciat, atque admiretur. Quibus vero laudibus ornandi illi, qui præclaras animi dotes languere quodammodo, & marcescere haud siverint, nec divinam naturæ bonitatem otio, desidiaque corruperint? Cæca enim est sine disciplina natura, immo quo præstantior est ipsa, depravatur facilius, nisi optima accedat institutio; ac veluti fœcundissimus ager sylvescit, nisi quotidiana subigatur cultione, nec luxuriantem nimis prudentis agricolæ manus coerceat, sic optima ingenia, nisi exercitatione perpetua excolantur, aut prorsus exarescere, aut nimia in omnes se se partes fundere necesse est. Quid vero in Hyacintho magis laudem, bonitatem naturæ, an usum disciplinæ, qui oblata a natura munera omnia contulit ad studia, omnemque studiorum diligentiam ad naturam perficiendam adhibuit? Quam multi non ignorant, huic, quæ ex Augustino est, numquam satis laudatæ familiæ adscriptum adolescentem tanta eluxisse magnitudine ingenii, ut maximam sui aleret spem, jamque confidere sui possent, talem futurum, qualem deinde cognitum omnes judicarunt? Quod de Phidiæ simulacro dictum est, vix perspectum ejus ingenium, statim etiam probatum est; adeo erat omnibus admirationi, ut nullam usus disciplinam desiderare videretur.

Ita-

Itaque non ſtudiorum doctores habuit, ſed ſocios, non præceptores, ſed comites, non interpretes, ſed teſtes, &, ut verius dicam, admiratores; ad omnes inſtitutiones docilis, & ita factus, ut quæ percipiebat, non tam a magiſtris accipere, quam ex ſeipſo depromere, & reminiſcendo quodammodo recognoſcere ex vetere illa pervulgata Platonis ſententia crederes. Quæ vero ſemel didicerat, adeo firmiter retinebat, tanta non rerum modo, verum quod difficillimum eſt, verborum etiam memoria, ut nihil umquam legerit, quod non perceperit, nihil perceperit, quod animo non habuerit inſculptum, nihil denique quod etiam ſi voluiſſet, dediſcere potuerit, atque oblivisci. Maximis his inſtructum adminiculis quis incredibile putet, ſeverioribus diſciplinis addictum, tam brevi tempore profeciſſe tantum, ut pene prius docere, quam diſcere cœperit. Vix philoſophiæ limina ingreſſus, ipſa adivit penetralia, ut non myſta aliquis, ſed antiſtes haberetur; reconditiora enim ſapientum arcana, philoſophorum omnium tam varias, tam multiplices, tam implexas ſententias callebat, ut quod de hoc veriſſime vos prædicari ſcitis, vix aliis veriſimile videatur. Sacrorum vero doctrinam quanta animi alacritate complexus eſt? Jam enim ab adoleſcentia maturus homo noverat, inter honeſtas artes ac ſcientias, cogitationes omnes, omnia ſtudia ad divinarum rerum in-

telligentiam esse traducenda, cujus veluti gradibus animus noster ad divinitatis similitudinem effectus in cœlum videatur ascendere; hanc unam esse disciplinam, in qua nulla inepta, ficta ac ridicula nulla, omnia gravia, omnia sincera, &, ut de Tiresia (*a*) Homerus, hanc unam sapere, cæteras velut umbras per inane volitare; denique tanto aliis facultatibus anteponendam, quanto caducis æterna, fragilibus immortalia, divina excellunt humanis. Nullus propterea erat Scripturarum locus, nulla Conciliorum decreta, nulla Patrum sensa, involuta illa quidem, & aliquando non satis explicata, quæ non introspexisset ille penitus & funditus penetrasset: nihil de Deo dictum, nihil de legibus ab ipso latis, nihil de animi immortalitate, nihil omnino quod ad mores instruendos attinet, de quo ipse acute, dilucide, copiose non disputaret. Te, Roma, non sanctitatis modo, sed doctrinarum etiam, bonarumque artium domicilium ac templum, te, inquam, imploro atque obtestor; vosque illorum temporum, si quis adhuc superest, sapientissimi viri, qua frequentia, quo plausu, & admiratione Hyacinthum audistis primo studia sua palam profiteri, eaque ad experimentum ingenii coram tot clarissima rei litterariæ lumina ab aliorum propositis difficultatibus defendere & vindicare? Religionem profecto catholicam, aras ipsas, & templa tunc se commovisse arbitror, ta-

(a) *Odyss. l.* 10.

talem habitura patronum, auctorem, vindicem; cui pauci forent æquales, superior certe nemo: impietatem vero, immortalis illius diei celebritate ultra montes perducta, timere cœpisse, ne de temere arrogata sede deturbaretur tandem, atque exterminaretur. Sed dicam, quod nemo vestrum ignorat, Innocentium XII. P. M. non dignitate solum, & morum integritate, sed prudentia supra mortales cæteros hunc suorum studiis præficiendum curasse, licet tanto muneri nisi viribus, ætate fortasse impar videretur nonnullis. Desinat jam Roma Africanum jactare, (a) qui cum sibi ædilitatem petenti ætatem nondum legitimam Tribuni plebis objicerent, satis se annorum habere dixit, si eum Quirites habilem facere voluissent; suis enim virtutibus vir ille confisus ante tempus magistratum petere non dubitavit, quem profecto ita gessit, ut tanto consensu ivisse in suffragia populum non pœnituerit. Hic autem recusare non poterat a Pontifice oblatum munus, qui ne benevolentia magis, quam æquitate permotus videretur, per optimos & sapientissimos viros ex florentissimis delectos ordinibus adolescentis sapientiam expertus, præclarissimo ornavit beneficio, quo perspectum est, & quid de illo judicaretur, & quid aliis præscriberetur. Conquievissent fortasse alii quasi laborum fructum amplissimum consecuti: Hyacinthus vero altius referebat animum, & veluti non cum

aliis,

(a) *Plutar. in vita Scip.*

aliis, sed secum ipse certaret; tanta utebatur animi contentione, quanta ii, qui minus ingenio valent, & subsidium sibi comparant diligentia; totumque illud tempus perire sibi arbitrabatur, in quo non disceret aliquid, aut doceret. Alios juvassent humilia, hunc ingenio supra cæteros elatum sublimia delectabant; alios vulgaria, hunc abstrusiora, & recondita; alios debilitasset & deterruisset difficultas, hunc labor reficiebat & recreabat. O virum omni prædicatione majorem! o hominem non sibi natum, sed aliis! Numquam minus ille otiosus erat quam cum otiosus, cujus nisi audirentur præcepta dicentis, legebantur dicta scribentis, nullaque, si quæ erant subcisiva tempora, nec sibi, nec aliis perire patiebatur; sed solitudinem & otium ad aliorum commoda conferebat. Audierant jam illum plures annos Senenses cives, audierant Pisarum gentes, Perusiæ populus, omnes denique Italiæ urbes nomen ejus peragrabat, quæ singulæ beatas se fore prædicabant, si illum exciperent, de cujus laudibus omnium erat fama consentiens. Sed vir summus nonnisi summo in loco collocandus erat. Itaque sapientissimi rei litterariæ pro felicissima hac nostra Rep. Moderatores illum non expetiverunt modo, sed veluti ex aliarum urbium manibus ereptum & sinu, advocarunt, ut in celeberrimo Patavino Gymnasio sacras publice interpretandi Scripturas munus susciperet.

Quis

Quis ſatis explicare poſſit quanto omnium favore nuncius hic fuerit exceptus, quo & clariſſimi illi viri hunc laborum & ſtudiorum ſocium ſe habituros intellexerunt, honeſtarum artium cupidi magiſtrum, tota civitas quem admiraretur doctorem, bonæ denique litteræ præſidium tantum & decus? Tunc profecto, quæ in exteris etiam & barbaris gentibus multis ab hinc ſæculis inveteraverat opinio, veriſſima viſa eſt, Viros omnes illos præſtantiſſimos, qui Auguſtiſſimam Venetorum Remp. ſapientiſſime adminiſtrant, in publicis conſiliis capiendis numquam decipi & errare, numquam etiam in judicandis & legendis optimis viris, qui ſtudiorum univerſorum & Patavini Gymnaſii curam gerunt. Oneraſſet profecto alium tanta hominum expectatio & ſermo: at Tontus in illa ſapientiæ ſede, & ut ita dicam, terrarum orbis Muſæo tantas ſplendidiſſimi ingenii, uberrimæque doctrinæ divitias extulit, ut concurſus audiendi cauſa ex tota urbe fierent, omniumque facile ad ſe ſtudia atque ora converteret. Utinam vero ea fuiſſet firma valetudine uſus, qua tot vigilias laboreſque diu ferre potuiſſet, nec ea demum fuiſſet in cauſſa ut novem poſt annos miſſionem peteret, quam quidem honeſtiſſime tulit, non ſine ingenti eorum dolore, qui doctore tanto eſſent carituri, omnium tamen votis, qui talem virum incolumem cuperent. Quam tamen ad corpus curandum optave-

ptaverat quietem, ad intermiſſionem etiam ſtudiorum quæſiiſſe quis credat? An quiſquam ignorat, quæ incendia, quod exitium Chriſtianæ Religioni minitaretur teterrima illa peſtis Picenninus, quas nefarias ſententias ad imminuendam fidei noſtræ veritatem diſſeminaverit in vulgus commentariis illis ſuis italice conſcriptis, ſi commentarii modo nominandi ſunt, non vero monſtra atque portenta? Ad infrigendam hominis impudentiſſimi audaciam quamplurimi, iique clariſſimi viri ornatiſſimam doctrinarum copiam attulerant: Hyacinthus vero iiſdem armis, quibus ipſe inſtructus provocaverat, hoſtem perſecutus, iis ipſis ſacris litteris, quarum ſenſa Picenninus prave detorſerat, eorumdem Patrum monumentis, quos pro ſe ſtare ille jactabat, iis, inquam, nefarios errores detexit & ſuſtulit, & præcipua Eccleſiæ myſteria validiſſime confirmavit, ut ſine invidia ſperare poſſimus, Tontum Eccleſiæ fore coævum: ut enim hæc veritate & certitudine æternum eſt duratura, ita illius nomen, qui eam defendit & auxit, nulla umquam oblivio, nulla obmuteſcet vetuſtas. Quid autem uberius, quid ſplendidius, quid magis pium atque eruditum, addo etiam jucundum, aureo illo libro, quem de rerum creatione latine conſcripſit, in quo inuſitata quadam dicendi facultate obſcura dilucide, enucleate dubia, confuſa ac perturbata diſpoſite expromens, ſummi

mi

mi opificis Dei fabricam perſcrutatur , ut non humano ingenio differentem hominem , ſed quodam numinis afflatu perculſum crederes ? In iis quidem non Theologum modo cernas divina propius opera contemplantem , eumdemque univerſitatis hujus auctorem & effectorem Deum , quam aſſidue ſua bonitate complectitur , moderatur , fovet , ſed Philoſophum videas , qui rerum omnium admirabilium , quæ in terris , mundoque fiunt , non ex quorumdam inſanientium ſomniis , ſed veriſſimas aperit cauſſas ; qui animantium , herbarum , ſtirpium ortus , progreſſus , naturas diligentiſſime proſequitur . Hæc vero & alia quamplurima quanta eloquentia tractaverit , vereor , ſi velim dicere , ne meæ orationis inopia vos admoneam cum homine eloquentiſſimo eloquentiam etiam deceſſiſſe : ſed quoniam ſemel altum ſumus ingreſſi , quem nobis cumque curſum fortuna dederit , vela facienda ſunt . Viderat profecto acutiſſimus ille vir de rebus divinis , qui copioſe , qui perſpicue , qui nitide diſputare velit , eum humanioribus litteris inſtructum , & eloquentiæ adminiculo adjutum eſſe oportere : viderat ad ſolidam ſapientiam ſine eloquentia neminem pervenire poſſe , eoſque , quibus omnis in verborum lenociniis diligentia conſumeretur velut leves futileſque contemni ; illos autem , qui orationis cultu omnino neglecto toti rebus indagandis ſe tradidiſſent , quaſi agreſtes & barbaros repudiari :

ri :

ri: viderat ex ſacris litteris, Conciliorum decretis, Patrum effatis res quidem petendas eſſe, ad eas vero involutas explicandas, confuſas apte digerendas, copioſe & ornate proferendas, eloquentiæ opes poſci: viderat, quid autem non viderat perſpicaciſſimo ingenio præditus homo? Itaque ab ipſo ætatis initio ita ſtudiorum ſuorum rationem comparaverat, ut rerum inveſtigationem cum exornandæ orationis cura conjungeret, multarum linguarum intelligentiam, multam antiquitatis cognitionem ad ſcientias maximas pertractandas traduceret, ad res divinas denique pro dignitate exponendas divinum quoddam orationis genus afferret. Quis enim in iis quæ paulo ante retuli, quæque in omnium verſantur manibus, doctrinarum varietatem, an verborum nitorem & elegantiam non magis miretur? Quæ vero dignitas in iis orationibus, quas innumeras ad populum habuit, quibus vel præclara Sanctorum hominum geſta extolleret laudibus, cæteriſque ad imitandum tamquam exemplar proponeret, vel metu pœnarum deterreret a vitiis, vel præmiorum ſpe ad virtutem alliceret, vel Chriſtiani hominis officia doceret, quæ, inquam, dignitas, quæ majeſtas? quod in cogitandis rebus acumen, in diſponendis judicium, in exornandis copia? quæ vis, ut faceret fidem, ut ánimos conciliaret, gratia, impetus, ut permoveret? Quæ quidem omnia ita in eo ſumma fuerunt, ut cum in

aliis

aliis habeamus quod admiremur ; nihil in hoc uno quod desideremus . Testis sanctitatis ac religionis domicilium Roma , testis præclara illa doctrinarum parens & altrix Augustæ Taurinorum , testis Januensis Resp. , testes denique omnes prope Italiæ urbes , quæ illum non semel concionantem audire concupierunt , auditum probarunt , immo adeo sunt admiratæ , ut magnitudo stuporis plausibus non relinqueret locum . Sed quid ego longinqua commemoro ? Vos quotquot adestis appello , vestram fidem , atque auctoritatem imploro . Quis ex vobis in hac ipsa florentissima urbe illum non audivit ? quis in magna frequentia illum audire omnibus viribus non contendit ? Nonne vidimus , omnibus templi locis occupatis , omni aditu completo , ne spatium quidem relinqui , ubi ipse poneret pedem , concurrentibus ex urbe tota , quos nec ætas , nec valetudo , nec sexus potuit retardare ? Quonam studio ac silentio audiebamus orationis suavitatem , ac in una eademque re successu temporum novitatem , qua mentes alliceret , voluntates quo vellet impelleret , abduceret unde vellet ; ut nihil magis timeremus , quam ne cito dicendi faceret finem , ubi tamen fecerat , admurmuratione quadam plauderemus ? Quid igitur dubitem egregium hunc virum laudibus omnibus prosequi , de quo vos ipsi tanta & tam præclara judicia fecistis ? Plura dicerem , auditores , nisi & laudandi , & dicendi

mo-

modus quidam servandus esset, ac in tam varia & multiplici segete quædam attingere necesse esset, omittere multa. Illud vero nullo modo præterire possum, dicam tamen brevius, quam res tanta dici possit, nominis ejus celebritatem trans maria etiam, & ultra montes pervolasse, qua permotus Invictissimus Cæsar Carolus, qui non modo majorum suorum gloriam est assecutus, sed omnem antiquitatis memoriam virtute superavit, ut quod fama acceperat, re ipsa experiretur, per Oratores suos Tontum adhuc in Patavino Gymnasio docentem a Senatu impetravit. In quo quidem fortasse verius, quam in Catone Tullius, (*a*) dicam contigisse, *quod plerisque contra solet, ut majora omnia re, quam fama viderentur; id quod non sæpe evenit, ut expectatio cognitione, aures ab oculis vincerentur.* Adeo enim acerrimi judicii Principi satis fecit, ut ab eodem insequentibus annis iterum ac tertio accerseretur, quod ante hunc fortasse contigit nemini: hic vero novas subinde majorique elaboratas industria & ingenio perfectas orationes attulit, quod dubito an alius præstare potuisset. O virum suo, suorumque voto majorem, & hominis fortunam egressum, ad cujus felicitatem tot res ac tantas sapientissimus ille detulit Imperator, quantas nemo tacitus ausus esset optare! Plura ad nos retulit fama: sed palam est, atque certissimum, Cæsarem ipsum perspicacissimum ingeniorum æstimatorem, quas in aula

(a) *Frag. ex Macr. l 6. c. 2.*

con-

conciones habuerat, ut in vulgus ederet, jussisse, quo late pateret omnibus suum de Hyacintho judicium, & cujus eloquentiam eximiam probaverat ipse, exteræ etiam gentes probarent, atque admirarentur. Sed dum ejus eloquentiam laudo, quis totam illius vivendi rationem laudari non intelligit? Quid enim aliis se persuasurum is arbitretur, cujus vita ab oratione dissentiat, a lingua diffideat animus, verba probet auditor, improbet mores, qui doceat alios, ipse non præstet? Quid? si nulla eloquentia, nisi quæ personam decet; quid Christianum oratorem, Deoque dicatum virum facere par est, *qui non in persuadibilibus humanæ sapientiæ verbis*, ut Paulus, (*a*) ait, *sed in ostensione spiritus & virtutis pro Christo legatione fungitur, tamquam Deo exhortante per ipsum*? Itaque non minus dicendi leges, quam vivendi præcepta secutus, ita se ipsum composuerat, iisque moribus & virtutibus instruxerat animum, ut quem admiraremur dicentem, agentem imitaremur. Hic vero quam multa occurrunt, quæ me in hac ipsa extrema oratione perturbant? Quod si ejus singularem pietatem in Deum, ad cujus augendum cultum omnia studia contulerat; benignitatem in homines, qua vivebat magis aliis quam sibi; humanitatem in omnes, in agendis rebus prudentiam, in externis despiciendis animi fortitudinem, in doloribus perferendis constantiam, in summa prosperitate modestiam, si

(a) *Ad Corin. I.2.II.5.*

ſi hæc, inquam, omnia carptim attingo, ac vix nomino, parcite dicenti auditores, properanti etiam parcite: ſiquidem & dicere oportet, ne illum juſta laude defraudem, & properare, ne patientiam veſtram diutius fatigem. Hoc breviſſime dicam, ex quo qualis quantuſque fuerit facile judicare poſſitis, illum apud clariſſimos viros in honore maximo ac pretio fuiſſe, ut prope inter ſe certarent, qui præcipue Hyacinthum diligerent. Si enim hæc *una via laudis*, *& dignitatis, & honoris*, (a) Tullio teſte, *a bonis viris, ſapientibus & bene natura conſtitutis*, quorum nomine optimates intelligit, *laudari, & diligi*, quis dubitabit eum, fuiſſe omni laudum genere præſtantiſſimum, quem Principes, quem Reges, quem Cæſar ſuſpexit; qui immortalis hujus Reip. quamplurimis optimatibus adeo carus, & acceptus fuerit, ut quiſque apud ſe habere contenderet, videre, alloqui, audire, complecti; incerti omnes utrum ipſum magis admirarentur, an amarent, cum ex admiratione oriretur amor, ex virtutibus admiratio. Quæ quidem præclariſſima in ſuos, & in omne genus hominum merita ampliſſimos illi honores, & ornamenta maxima detuliſſent, ſed certo quodam & non humano conſilio arbitror eveniſse, ne ab inſtitutis ſtudiis regiminis averteret cura, ſatis viſum, eum fore maximum oratorum. O fallaces hominum cogitationes! o perditas ſpes! Tantane repente rerum omnium facta converſio,

(a) *Orat. pro Sext.*

ſio,

ſio, ut quem in oculis & in ſinu modo fereba-
mus, eum a nobis divulſum lugeamus? quique
ne extrema quidem ſine bonorum mœrore inter-
mori potuiſset, eum ſenectute prima doleamus
ereptum? Quid nobis triſtius, quid bonis lit-
teris luctuoſius umquam contingere poterat?
Una tamen nos conſolatio ſuſtentet, parum qui-
dem vixiſse illum, ſi annos ſpectemus; ſatis ta-
men, ſi res præclare geſtas; ſi vero nominis
memoriam, ſemper victurum, de quo in ore o-
mnium ſermo verſabitur, cujus gloria in terris
omnibus ſemper habitabit: quæ quidem ad ne-
minem magis, quam ad vos pertinere debet Re-
ligioſiſſimi Patres, qui non tam conſuetudinis
& victus ratione, quam morum ſimilitudine,
& virtutum æmulatione fuiſtis illi conjunctiſſi-
mi. Quod ſi animum altius erigamus, & ab eo
loco, ubi ille recte factorum præmio fruitur,
ſolatium petamus, jucundiſſimam ipſi, nec no-
bis miſeram ejus mortem ducamus: omnia, quæ
potuimus, quæque debuimus, officia præſtitiſse
contenti, quæ quidem haud ſcimus, an homini
ingenio, doctrina, eloquentia, vivendi ratione
huic ſimillimo ſimus umquam præſtituri. DIXI.